Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Seria litteratorum, hominum poenitentia, institutio eruditorum deliquentium - Cod. Ettenheim-Münster 60

[S.l.], 1727

Sectio 7

urn:nbn:de:bsz:31-108344

Visual Library

institutum, cum experientiâ magistrâ constet nobilissi-
marum virtutum actiones eò difficiliores indies evadere,
quò magis differuntur, atque corporis repugnant voluptati.
Habet hic cumprimis locum poëticum illud Sybillæ fo-
lium: qui non est hodie, cras minus aptus erit. intepescit
enim dilatione voluntas, et ardor pius restinguitur, et pœni-
tentiæ ille decor, qui animum resuscitabat, ut pictura ve-
tus sensim evanescit. Omnium licet poëtarum ore celebretur
Ennius, qui cunctando restituerit rem. dubium tamen non Ennius
est multa hominum (etiam eruditorum) millia cunctando apud Cicer.
et differendo pœnitentiam, animæ suæ salutem funditus l. 1. de offic.
perdidisse. Valeat in bello cunctatio, ut temeritati via
intercludatur: verum in pœnitentiæ castris, et virtutum
expeditione potius dictum Alexandri M. aureum regnet.
Nihil cunctando, nihil procrastinando! Sit frequenter
eruditis mentibus in ore aureum illud sapientiæ arcanæ
præceptum: non differendum in crastinum; planissimèque
sibi persuadeant nusquam effatum illud, quod heroicas
in historiâ vates cecinit, verius esse, quam in pœnitentiæ
studio actionibusque virtutum: semper nocuit differre paratis. Lucan. l. 1.

Sectio 7.

Metanœa, à Literatis christianis excolendæ, ratio, et indoles genuina.

Est igitur ut Docti gravissimis peccatorum oneribus
pressi quantocyus cum offenso Numine redeant in gra-
tiam, pœnitentiam astruì veram, integram, christianam,
naviisque ac defectibus antea memoratis omninò carentem.
Non respiciat illa Moralem duntaxat philosophiam,
nec vitam honestatis externæ coloribus pictam sectetur,
verùm Deum unicè, beatamque æternitatem, tanquam
ultimum scopum sibi habeat propositum. Non verbis adeò
quàm re et opere ipso demonstrent sacrosanctæ illius
disciplinæ alumni, sese reverà de peccatis dolere, neque
delicta tantùm sua planctu copiosiori deprecentur, verùm
etiam divinæ clementiæ Christi meritis partæ confisi,
seriæ studeant vitæ morumque corruptissimorum emenda-
tioni. Non prius Eruditorum hominum pœnitentia
Medicinæ spiritualis appellationem elogiumque consequu-
tur, quàm ex Rhabarbaro contritionis, aquâ destillatâ
lacrymarum, auro item et rosatis fidei infucatæ atque
decocto orationis seriæ composita fuerit. fidei cum-
primis salvificæ rosatum, Literato ad pristinam sanitatẽ

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

aſpiranti ità neceſſarium est, ut ſine illo ſalvus neutiquam fieri poſſit, neq; cum offenſo peccatis atrocioribus Numine redire in gratiam*. Ea fidei est efficacia, ut (felicissimâ Metamorphosi.) ex infirmis ſanos, ex cæcis lynceos, ex odiosis gratos, ex peccatoribus justos, ex dæmonibus angelos, et tantum non Deos ex hominibus efficiat. Et quid obſecro vera eruditio, Deoq; accepta, niſi optatiſſimus in viâ fidei ſalutisq; ſempiternæ progreſſus? quid, niſi ſollicita animæ depravatæ emendatio, atq; cordis, per concupiſcentiarum cœnum turpiter coinquinati, purgatio ſalutaris? Et licet omnes christiani hominis actio (B. Macario enuntiante) circà puritatem intaminatam occupari debeat: maximè tamen Literatorum hominum Nationi in hoc deſudandum, ut mundum rectumq; cor Deo ſervetur, atq; in regiâ virtutis intaminatæ viâ ſine offendiculo incedatur. Hinc est ut Eruditi Metanœæ cultores etiã post deploratam cum Magno Baſilio vitam miſerè tranſactam, post meditatam ſuſceptamq; vitæ morumq; ſuorũ corruptiſſimorum emendationem, frequenter aciem mentis in anteactam vitam retorqueant, et perperàm olim à ſe gesta frequenter ſibi revocent ad animum. Nunquam profectò illis deerit justa doloris et compunctionis materia, ubi oculos, et animi ſui cogitationes in præteritæ vitæ annos intenderint. Deprehendent utiq; toties (cursu planè malè ſano) instructum à ſe malitiarum multivariarum officinam fuiſſe, quoties ſacratam ſanctiſſimi Numinis voluntatem, ſummâ protervia duxêre violandam. Cæterum, in eam partem cogitationem ſuam immittentes, cavebunt ſollicitè, ne in morem ſtrigis poëticæ, quæ momento cœlum, terras, mariaq; prætervolat, illum diſcuſſionis propriæ curſum conficiant, ſed lentè conſiderateq; omnia perlustrent, atq; pervestigent, et velut in Perſarum paraſangis interſtitia viæ habeant studioſè perquiſituri, ubi diutius meditando hærendũ ſit atq; ſubſistendum. Meminerint frequentiſſimè, hactenus ſe à regiâ virtutis christianæ viâ deflectentes, vel in diverſoria elationis et ſuperbiæ incurriſſe, vel adamatæ nimis vanitatis glorioſæ ſubiiſſe laqueos, vel noxio contentionis et maledicentiæ laboraſſe morbo, vel ambitionis et pernicioſæ curioſitatis glaucomate miſerè fuiſſe faſcinatos. Neq; obliviſcantur turbulentorum animi ſui motuum, et frequentes iracundias è corde pullulantes, ſtragemq; virtutis miſerabilem cæco impetu cientes, probè conſiderent. Si volupe illis,

* præclarè Petrarcha pœnitens (epist. 19. p. 844) Multum est fateor, ſcribit, peccati mei pondus, ſed finitum tamen, at eius unde auxilium expecto, infinita clementia est.

omnem admiſsi criminis regionem (veram illam Theſsa-
liam, quam non Medea in fabulis, ſed à furiis docta
nequitia veneris implevit) peragrare, ubiqꝫ videbunt
immanem Dei contemptum, et Sanctiſsimarum legum de-
ſpicientiam, oblivionem ſui, inertiam, temeritatem, ingrati
animi dedecus, maculoſam conſcientiam, deteſtandam animi
cæcitatem, voluntatem ferream, quam indulgentiſsimi pat-
ris humanitas mollire, et flectere nunquam potuiſset.
quidni inde pudor juſtiſsimus, et timidæ conſcientiæ (cui
Sacroſancta Nemeſis pœnarum graviſsimarum acervos inter-
minat.) horror exiſteret? quidni fontes aperiantur copio-
ſiſsimi lacrymarum, quæ utut naturâ ſuâ ſalſæ ſunt ama-
ræqꝫ, indices tamen pœnitentiæ, et compunctionis ſeriæ
plurimo ſe fructu atqꝫ emolumento commendantes.
Videtur ſane ſtratus abjectusqꝫ ex lapſu graviori princeps
Hebræus, Literatis pœnitentibus ſalutarem illam, et
generandæ pœnitentiæ apprime idoneam recordationem
criminum admiſsorum, tum exemplo ſuo, tum monitis
ſaluberrimis fideliſsimè inculcaſse, cum inter complures
pſalmos quibus delicta ſua confeſsus est, octavum et tri- ps. 38.
geſimum, propriè ac destinatò in Recordationem v. 1.
ſepoſuit. Scil. ut eum (ſic præclarè Magnus Baſilius Basil. M.
cenſuit) ſemper in ore ferret, ac eodem uteretur pro Comment.
quodam veluti incantamento atqꝫ pharmaco ad animi in eund.
ſui medicinam incomparabili. Sic propheta Regius
Recogitabat vitæ priſtinæ curriculum, et quotidiè pœ-
nitentiam, animiqꝫ dolorem pio ſenſu renovabat, ut dies
noctesqꝫ integras in amaritudine animæ ſuæ (quam
eodem loco rugitum cordis appellat) conſumpſerit.
feliciſsimè equidem Magnum illum Metanœæ ſeriæ
proſelytum imitabuntur Muſophili pœnitentes, ubi ani-
mum ſuum ad ingrati, et impuri cordis labes cognoſcendas
ſtudioſius applicuerint, atqꝫ (quod D. Augustinus
piè ac peritè expreſsit) cœleſti præſidio nixi viderint,
ut conſtituto in corde judicio, accuſatrix cogitatio præ-
ſto ſit, teſtis conſcientia, carnifex timor; curârintqꝫ, S. August.
ut calidus animæ confitentis ſanguis per lacrymas l. 50. hom.
profluat, atqꝫ effundatur. Et cum plurima ſint ad ult.
ſollicitam illam admiſsorum delictorum Recordatio-
nem (nunquàm non intenſiſsimo dolori ſociandam)
invitamenta, iuvabit cumprimis autognostas literatos
in omnem partem cogitare, plus omninò cernere Deum
in conſcientiâ ſuâ, quam ipſimet videant, nec raro illic
quidpiam irâ dignum ſuppliciòqꝫ divino reperire, ubi
nullum prorſus doloris ſenſum mentes occæcatæ per-
ceperunt. Extat eam in rem grave admodum et me-
morabile D. Bernardi monitum, quo videntis omnia

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

et audientis Dei Majestas describitur ad hunc modum:
cuius utique scientiam non effugit, sententiam non subter=
fugit, etiam quod propriam latet conscientiam, quid, quod
ex ipsius veritatis revelatæ indicio constet, Deum in corde
cogitantis audire, quod ipse qui cogitat neutiquam animad-
vertat, siquidem profundum cordis omninò impenetrabile
sit humano lumini, neque in vastos illos sinus implicatosque
mæandros (ubi magna ut plurimum malitia delitescit)
mentis humanæ acies pertingere possit, nisi divinæ
misericordiæ lucerna viam pandat gressusque dirigat.
Cæterum, nihil magis superbiam elatosque doctorum homi-
num spiritus comprimere valet, quam si frequenter
ad animum suum revocent Deum, nulla prorsus pecca=
ta prætereuntem, aut deponentem è memoriâ, aut ig=
norantem penitus, sed omnia ita habentem in numerato
claréque adeò, et perfectè cognoscentem, ac si oculis vide=
antur, tanganturque manu. Tantus hinc Davidis animū
timor invasit, ut plenam illam demissionis pœnitentiæque
vocem expresserit: ab Occultis meis munda me*. Ean-
ps. 19. v. 13. demque autognostam regium haud malè literati, timore
sacro perculsi, imitabuntur, ubi enixissimè Deum ora-
verint, ut labes quas perspicacissimus eius oculus vide-
at, ipsi autem minimè cernere valeant, misericordis=
simâ bonitate excurere, et quæ à D. paulo scienter
2. Cor. 4. Occulta dedecoris nuncupantur, gratiæ suæ nitore
illuminare atque diluere velit. providit equidem nos=
tri amantis benignissimi Numinis cura perquam solli-
citè, ut occultum animi statum noscere desiderantes, morque
ad pœnitentiam veluti sacram anchoram confugientes,
restabiliant anxios suos, et fluctuantes animos, atque in cœles=
ti tandem bonitate acquiescant. Etiamsi sacræ literæ
grandem Deo commentarium tribuant, in quem delicta
mortalium studiosissimè, et accuratissimè referantur,
illeque arcanos suos codicillos habeat †, notis omnium
maleficiorum distinctos, ne unquam excidant, et oblite=

*. mirum sanè est (scite ait interpretum quidam)
tantum virum, cui Deus arcana sua aperuisset
et occulta sapientiæ suæ (de quibus ps. 49.) mani-
festâsset, occulta propria ignoravisse.

†. sic visus est prophetæ Ezechieli summus ipse
judex inter angelos, quos habere vult satelli=
tes honoratos, et fideles, et administros iustitiæ
suæ, et his notis ab eo describitur c. 9. 2. Et
atramentarium scriptoris ad renes eius: quod
exponens Hieronymus, causam hanc reddit:
ut omnium peccata describeret, ita Jeremias

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

ait (Thren. 14.) iniquitates in manu Dei convolutas.
id Vatablus in hunc modum interpretatur, Deus quibuſ-
dam notis peccata in manibus ſuis deſignavit, ut
illorum recordetur. haud dubiè vates volumen
intelligit, quod more antiquo circum umbilicum
convolvitur. in quod Deus atramento illo Ezechie-
lis, omnia hominum dicta, facta, cogitationes re-
fert, et in ſuâ manu, h. e. potentia divinitatis
ſuæ et aperta ſcientia conſervat, ne unquam ob-
literentur. quorſum et illud Iſaiæ referendum
c. 65. 6. ecce ſcriptum est coràm me, non tacebo,
ſed reddam, et retribuam in ſinum eorum. Job. 14.
17. legitur Deum ſuos arcanos codicillos habere,
notis omnium maleficiorum distinctos, et ſedulò
exaratos: ſignâſti quaſi in ſacculo delicta mea.
dicit in ſacculo, ut procuratorem litium imitari
videatur, qui varia cauſæ firmamenta in ſaccu-
lo fert, et conſervat ad convincendam improbitatē,
ſcelusque perdendum.

rentur, ſed ſemper ſint in conſpectu, et clariſſimè per-
fectiſſimeque legantur, librique illi in Magno judicio, et de-
cretorio die aperiendi ſint, et mortui ex his quæ ſcripta in
libris, ſecundum opera ipſorum judicandi. (Apoc. 20. v. 12.)
Attamen ſi maturè periculo tanto obviàm eant transgreſſores,
commiſſaque peccata amariſſimè defleant, dubium non est
quin imminentis pœnæ acerbitatem ſint evaſuri, atque ſalu-
tarem paroramatum ſuorum oblitionem impetraturi.
Quemadmodum illi ſunt in univerſum mortales omni ex
parte miſerrimi, qui nec minis, neque Numinis charitate
moventur, ut anteacta vitæ ſcelera ad animum ſuum re-
vocent, et quæ lapſorum bono ac emolumento à prophetis
dicta, aure faciliori excipiant. ita omne infelicitatis pun-
ctum illi ferre videntur literati, qui plusquam Lethæo
ſomno immerſi, neutiquam oculos aperire volunt, ut cri-
mina ſua videant, neque immane illud ac funestum
barathrum animadvertere, in quod, ni ſeriò et quantocyùs
reſipuerint, olim certò certius ſunt detrudendi. Est pro-
fectò, quod alium atque alium excitandæ, et frequentandæ
pœnitentiæ ſtimulum, animis ſuis adjiciant Muſophili
peccatis inquinati, et quotidiè Metanœam ut egregiam
ducem comitemque ſibi adjungentes, ad priſcorum pietatis
ſinceræ doctorum atque profeſſorum exemplum, oblatas
ſupremo Numini contumelias graviſſimè doleant. quorū
indicem benè longum cum hîc attexere poſſemus, uno
Augustini Epiſcopi Hipponenſis exemplo erimus contenti,
ſiquidem eius virtus, altiſſimo in loco, ad cæterorum docu-

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

mentum, et emolumentum poſita videatur. quam uberes
bone Deus! lacrymæ, intimo ex animo fluentes in libris ſtil-
lant Confeſſionum. quos veræ pænitentiæ, et demiſſionis apo-
thecam meritiſſimo iure nuncupaverimus. Nec minus Medi-
tationes illæ, atq; ferventiſſima pænitentis cum Deo ſoliloquia
ſatis indicant, quid totâ vitâ egerit Magnus ille Metanææ
ſanctæ proſelytus, quamq; fuerit illi commendatum, et pro-
poſitum unicè ſtudium ſinceræ converſionis. quid quod
morti etiam vicinus antiquam illam ſuam contubernalem
pænitentiam evocare non dubitaverit, in cuius veluti
manu ſinuq; moreretur. Cum lucem aperiti ſibi diemq;
æternitatis videret, et centenarum palmarum victor, hæ-
reſes domuiſſet, populos docuiſſet, pulcherrimisq; laboribus
Eccleſiam illuſtraſſet. cum eſſet bonorum plenus dierum,
ut alter Abrahamus, et multis ac heroicis virtutibus in-
ſigniter excultus. oblitus illorum omnium, et primum
in judicem Deum contuens, deindè oculos in ſe reflectens
ſuos, pſalmosq; Davidicos, qui vulgò pænitentiales di-
cuntur circa lectum affigi curans, intuebatur (dicente
Poſid. Poſidonio) et legebat, et iugiter ac uberrimè flebat
in vit. nec verbis minus, quam inſtituto et exemplo ſuo laudabili
Auguſt. dabat demonſtratum, Literatum, Deoq; ſacratum homi-
nem, absq; dignâ et competenti pænitentiâ exire de
corpore non debere. quidni igitur ſequioris ævi Docto-
res, malorum ſibi conſcij facinorum, animo conturbentur
et mæreant, et abiecti ante ſolium Divinitatis, ingrati
animi labes, cordis malitiam, et occultas ſcelerum maculas
amariſſimè defleant. ſiquidem tam cara Deo pectora,
tamq; excellenti pietate præditi Viri, etiam morti vicini
animum ſuum ad fundendas lacrymas exſuſcitarint. Ne-
quis (inquit S. Cyprianus Martyr) ſibi quaſi innocens
Cyprian. placeat, cum innocens nemo ſit, et ſe extollendo plus pe-
De orat. reat, inſtruitur et docetur, peccare ſe quotidiè, dum
Dom. quotidiè pro peccatis iubetur orare. Vel ut diſertiùs
idipſum laudatus modò Doctor Auguſtiſſimus (l. 50 hom.
hom. ult.) expreſſit: propter ipſum pulverem Mundi
huius, qui per itinera conſulendi conſulentium pedibus
adhæreſcit, et damna, quæ in ipſâ negotioſiſſimâ diſpen-
ſationis actione contingunt, quæ Dominus præſtet ut
cum lucris maioribus compenſentur. quotidianam debemus
habere pænitentiam.

Sectio 8.

Imago Literati pænitentis compunctiq; Vivis quaſi coloribus expreſſa.